

580

*Lib. IV. Cap. VIII.*

33. Quartum divisionis præceptum est: Singulæ partes divisionis minus contineant, quam divisum: omnes vero simul sumtæ adæquantur: e. g. animal cum dividitur in hominem & brutum, homo minus continet quam animal, homo enim continet tantum individualia, animal autem continet præter hominem alias species: ita & brutum, minus continet sub se, quam animal, cum animal hominem sub se contineat, qui sub bruto non continetur. Si verò hæc duæ partes divisionis, homo scil. & animal sumuntur conjunctim, adæquantur diviso & cum ipso recipiuntur h. m. animal est homo vel brutum, & quod est homo vel brutum, est animal.

34. Not. cum dicitur, quod partes divisionis seorsim sumtæ contineant minus, quam divisum, id intelligendum est de partibus sub eâ ratione, sub quâ sunt partes, & de eodem modo continendi, e. g. pars essentialis, ut est essentialis, & ut in essentiâ actu includitur, minus continet, quam divisum, sive totum essentialis: si tamen pars consideratur aliô modo & quoad aliam continendi rationem, v. g. ut totum est, potest plus continere. Cum igitur e. g. homo dividitur tanquam totum essentialis metaphysicum in genus, nempe animal, & differentiam, n. p. *to rationale*, animal quæ est pars essentialis & actu continetur in homine minus continet, actu scil. quam divisum